

B. 51.

In hoc libro continetur

1. FLANCKII

Bibliotheca Nouissima Sectio I — XI.

Bibliotheca Academica Sectio IV.

Sperlette an Ratio in rebus moralibus recta et perfecta dici possit

3. Schüffleri.

De commercio inter animam et corpus.

De natura actionum humanarum.

De officiis hominis erga semet ipsam

4. Thümigii

De arboribus ex folio e ducatis.

De immortalitate animae ex intima eius natura deducte

De propagatione luminis per Systema Planetarum

Phaenomenon singulare solis.

De pondere nubium


Specimen Architecturae Civ. ad Politic. applic. / Cura Principis
circa Aethiopia.

5. Waltheri de Philosophiae Natalibus

6. Wolfii Consideratio hyemis proxime praeteritae

7. Catalogus librorum Bibliopolitani Orphanotrophii

xv. Programmata.



B

ADIVVANTE IESV!
DISQVISITIO PHILOSOPHICA;
**AN RATIO IN
REBVS MORALIBVS
RECTA ET PERFECTA
DICI POSSIT?**

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDEB.
DVCATVS MAGDEB. GVBERNATORE,
CETERA,
PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO AC CONSVLTISSIMO,
IOANNE SPERLETTE,
CONSILIARIO REGIO, FACVLTATIS PHILOSO-
PHICAE SENIORE, ET IN EADEM MORALIVM AC
POLITICES PROFESSORE;
COLONIAE GALLORVM DIRECT. ET IVDICE.
PATRONO SVO OMNI AETATE DEVENERANDO.
PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
RITE CONSEQVENDIS

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
A V T O R

SAMVEL SEBALD, REDELA-MESO-MARCH.
S. MINIST. CANDID. ET REG. MENSAR. LIBERAL. INSP.
A. D. 24. AVG. MDCCXII.

HALAE MAGDEB. Litteris STEPHANI ORBANI, Acad. Typograph.

ADINANT 1737
DISPOSITIO PHILOSOPHICA

AN RATIO IN
REBUS MORALIBUS
RECTA ET PERFECTA
DICI POSSIT

LECTOR MAGNIFICENTISSIMO
SACRILEGUM KAYSERI A. D. D. W. G.
D. ERIBENCOV HILFMO
PRINCIPALIS A. D. D. W. G.
D. G. A. T. S. M. A. G. I. S. T. R. A. T. O. R. I. S.

PRAESIDE

IN
HABITU SPIRITUS
SANTIS REGI A. D. D. W. G.
SACRILEGUM KAYSERI A. D. D. W. G.
D. ERIBENCOV HILFMO
PRINCIPALIS A. D. D. W. G.
D. G. A. T. S. M. A. G. I. S. T. R. A. T. O. R. I. S.

SAMUEL SPALLANZANI
A. D. D. W. G.



VIRO
ILLVSTRISSIMO atque EXCELLEN-
TISSIMO DOMINO,
DOMINO
MARQVARDO
LVDOVICO
LIBERO BARONI
DE **PRINTZEN**,
HAEREDITARIO DOMINO IN
CARO, &c. &c.

REGIAE MAIESTATIS BORVS-
SICAE MINISTRO STATVS INTIMO,
RERVM FEVDALIVM ET ECCLESIASTICARVM
DIRECTORI SVPREMO, PRAESIDI SVPREMI
CONSISTORII, ARCIS REGIAE PRAEFECTO, CA-
PITANEO PRAEFECTVRARVM IERICHAV ET
SANDAV, ORDINIS AQVILAE NIGRAE
EQVITI, ECCLESIAE CATHEDRALIS
MAGDEBVRGENSIS CANONICO,

X²

DOMINO

DOMINO SVO GRATIO-
SISSIMO,

&

PATRONO MAXIMO,

SVMMISSIMO CVLTV AETERNVM DE-
VENERANDO,

LABORES HOSCE ACADEMICOS

*SVB ARDENTI VOTO SEMPITERNAE GRATIAE DIVINAE
ET OMNIGENAE PROSPERITATIS*

Humillima obseruantia offert, dicat, & consecrat

Subiectissimus Seruus & Cliens

SAMVEL SEBALD.

S. I. Quot-



S. I.



Votquot vnquam hoc vniuersum aluit Philo-
sophos, rationis lumen viresque in sacram quasi
constituerunt aram, eamque ceu reginam ac di-
rectricem humanarum introduxerunt actio-
num, cui ceteras animæ facultates corporisque
vires instar pedissequarum, mandatum suæ
dominæ expectantium, subiiciunt; Seneca Epist. LXXVI, scribit
*Ratio perfecta proprium hominis bonum: cetera ipsi cum animalibus satis-
que communia sunt, hæc ratio antecedit animalia Deosque sequitur, estque
vnum hominis bonum.* Idem illud multis docet Aristoteles v. c. 1,
Polit. c. 3. tradit. *vñ seu mentem appetitui ut regem seu magistratum im-
perare, adeoq; facem ipsi præbere.* Notum insuper eius est tritum:
Ratio deprecatur ad optima. Hinc Ethici communiter dictamen virtu-
tum earumque determinationem ponunt rationem. Hæc splen-
dida verba nil erroris haberent, satisque essent bona, si modo res
ipsa adhuc staret salva, pristinoque mansisset statu ratio: tum quo-
que his aliisque diuinis Philosophorum elogiis tesseram adiciere
& possemus & vellemus. Verum vt olim Aeneas Troianorum
deletum a Græcis dominium vel descripsit vel deplorauit; Aen. I, II.

--- -- Fuimus Troes, fuit Ilium & ingens,

Gloria Teucrorum. --- --

sic quoque *μυνητὶς* exclamandum & hoc loco erit:

Adfuit ingens lux menti, vis, gloria quondam

Ast iam cæca iacet, captum est robur rationis!

Nam morbus quidam, proh dolor! inuasit rationem, extinxit lu-
men, sustulitque omnem eius *εὐφροσύνην* bonam ac perfectam, te-
xit miseria, eamque languidam & incertis, si quos habet, pedibus tru-
ncidentem reliquit. Considerantes itaque rem & veritatis trina

A

tina expedentes nihil iniustitiæ commissuri nobis videmur, quando aureis Philosophorum encomiis atro carbone inscribamus: *ἐδὲν ἐστὶ*. Titulus absquere. Hancq; profiteor Thesin: *Quod quidem Ratio maximum sit a Creatore bonum; INTERIM TAMEN IN MORALIBVS AMPLIVS NON DETVR NEC SANA, NEC RECTA, NEC PERFECTA*, quatenus scilicet ea versatur vel potius versari debebat, in vera hominis felicitate procuranda, quin imo eatenus in nullo Philosophorum eam unquam fuisse sanam & perfectam. Absit tamen omnino hoc temeritatis a nobis, vt idem in Philosophis ex animæ morbis per gratiam Iesu sanatis, sanctique Spiritus lumine collustratis negare audeamus. Hoc enim effatum pari absurditate aspersum esset, qua affectum est eorum, qui statum præsentem inspicientes putant, hominem nunquam recta præditum fuisse ratione.

§. II. Qua de re ne triumphum ante pugnam canere videamur; rationes afferendæ erunt. Equidem, si abundæ Theologorum messi falcem immittere fas esset; ex testimoniis omni exceptione maioribus veritas constaret. Quippe S. Scriptura, tum, quod attinet ad *actionum principia*, agendique vires, rationem, qua corruptam, penitus ab hoc foro excludendam, hostemque vel corruptricem ad minimum moralis actionis vere bonæ reputandam, ab exemplo Apostolorum docet: adeo, vt armis spiritualibus arcenda, subiuganda, ac virtute fidei ducenda sit captiva 2 Cor. X, 4. 5. *Arma nostra diuinitus valida sunt ad euersionem munitionum, ratiocinationes destruentes omnemque sublimitatem, se contra cognitionem Dei extollentes, & in captiuitatem redigentes omnem cogitationem; (ὄνμια effectus mentis vel ratiocinatio conf. 2 Cor. II, 11. ubi b. Beza commentatur: est astuta cogitatio ratiocinatio sophistica) ad obedientiam Christi.* Ergo naturales vires totius hominis nunc carnalis, excultissimæ licet, nil boni vere dicti operantur, quin potius causam impellentem habent satanam, huius mundi principem, qui actiones irrogenitorum, non exclusis Philosophorum, informat Eph. II, 2. id quod rationi *παρὰ νόον*. Tum etiam ab effectu perspicue id colligere licet, dum Spiritus S. opera rationis cum operibus carnis ac appetitus sensitui in vnum idemque refert prædicamentum. Quæ licet apud Philosophos distincta sint, hæcque a *νεκροῦ ἐστὶ* Viro Philosopho indigna doceantur; illa vero maxime commendentur: tamen

men formam internam habent eandem scil. *divorciar* & defectum indolis spiritualis Eph. II, 3. *Ambulavimus in cupiditatibus* (tam irascibile quam concupiscibile seu facultates animæ superiores & inferiores ad cupiditates sunt prolapsæ, id, quod sequens euincit appositio) *facientes quæ carni & cogitationibus* (*διαβολοι* a mons de nôtre esprit) *libebant.* Vides itaque Purissimum ac Iustissimum DEVM, interiora examinantem, non aliam sententiam de hominum operibus quanquam sint *Φιλοσοφώτατα* nisi hanc, dicere posse. Rem itaque puto esse iudicatam. Ne autem quis effugia quærat, obexponitur quando additur *Φύσει natura* (par la nature) *tum eramus filii iræ, & NOS* (qui Iudæi sumus, ac prærogatiuam quandam prætendimus & certo respectu Rom. III, 1. seq. habemus) & *RELIQVI*, i. e. omnes extra ecclesiam natæ gentes. Quantum! quantum! eheu ratio, perniciem & mortem loco vitæ & felicitatis eligens; a summo non aberrat bono! Sed prohibiti a Theologorum campis ad nostros revertimur cancellos & pro viribus, quæ incipimus, explicamus.

§ III. Rationis quidem sumptio apud omnes non semper est eadem. Alii eam pro facultate habent intelligendi, ideas connectendi, disiungendi, inter se comparandi & sic discursum formandi. Alii vero in rationis circulum inscribunt etiam voluntatem, ita vt non tantum separatim facultatem intelligendi iudicandi, verum etiam volendi & exequendi ipsis significet, adeoque pro tota mente habeant; inde quoque factum, vt homo nuncupetur rationalis ex vtraque facultate. Item Senec. epl. LXVI. *Ratio nihil aliud est, quam in corpus humanum pars divini Spiritus.* Porro cum Aristot. lib. III. de anima c. 9. text. 49. aliqui eam diuidunt in *theoreticam* & *practicam.* Theoreticus intellectus vel ratio est, qui res eo solum fine cognoscit ac iudicat, quo veritatem perspetam habeat ac sciat. Practicus vero, qui ideo aliquid cognoscit, non vt sciat tantum, sed, ut, quod scit agendum esse, id agatur, & ita hæc diuisio respectu finis enata est. Verum qui ab obiecto diuisionem infituunt, non modo centenas fingere, sed etiam impropriissime loqui ac docere debent; dum inquirunt, intellectum theoreticum esse, qui circa theoriam versatur: practicum vero, qui practica contemplatur. Tali ratione plumbeam is

habebit rationem, quæ plumbum sicit obiectum rationis; bubulam vero qui bouem; sed cum cultrum non possum nominare ligneum vel aureum, quando sciudo vel lignum vel aurum, quia hæc prædicata qualitatem inhærentem requirunt in subiecto, ita nec intellectum, quando res practicas meditatur, practicum appellare potero, quia fundamentum denominationis abest. Nos vero rationem in strictiori significatione, theoreticam pro obiecto disputationis nostræ constituimus.

§. IV. Porro inquirendum erit, quid sit *recta ratio*, quæ & perfecta & consummata, item sana prædicatur. Si Philosophos ad pronunciandam in vitas sententiam, magnis verborum ampullis mensuras ac normas suppeditabunt; si vero in applicatione indolem rationis perfectæ peris; tum, mensuratum cum mensura nullam habere conuenientiam, deprehendes. Rectum quidem opponitur illi, vel quod non omnes habet partes integrantes, vel cui debitæ desunt qualitates i. e. peruerso: ita Mathematici opponunt normæ rectæ non exactam; Politici Reipubl. quæ recte se habet, male constitutam. In moralibus idem sæpe est ac iustum & sanctum: Cic. ad Herenn. lib. III. *Rectum est, quod cum virtute & officio sit.* h. l. *recta ratio* non intelligitur, quæ totum suum habet constitutum, id enim habet, sed rectitudinem normarum, dignasque qualitates. Et tali modo ratio recta conceditur in rebus æconomicis, ciuilibus, bellicis, ruralibus &c. quia sufficiens est habitudo ad obiectum propositum. Et licet interdum ibi erret, tamen distinctio locum habere poterit, inter rationem ipsam atque utentem vel potius abutentem ea, seu inter artem & artificem. Sed cum in moralibus obiectum maxime sit diuinum, exemptumque communioribus rebus, etiam ratio sublimioribus qualitatibus instructa requiritur. Hoc quod nequaquam Philosophi nesciunt, & hoc est causæ, cur & ipsi sublimiora requisita, quando ratio hunc circulum ingreditur, requirant? Senec. Epist. LXVI. *Vna inducitur humanis virtutibus regula; vna enim est ratio recta simplexque.* Quinimo Epist. LXXVI, scribitur quod ratio perfecta & consummata hominis felicitatem impleat. Ratio perfecta virtus vocatur. Notanda sunt prædicata. Perfectum & consummatum excludit imperfectum ac languidum, virtus item vitia. De rebus autem
ciui-

ciuilibus differens, in genere rationem appellat, de Benefic. lib. IV. *Natura duas res homini calamitatibus & imbecillitatibus exposito dedit, rationem & societatem.* Omnia vero, quæ de ratione recta disputantur, huc ni fallor recedunt. Rectam esse, quæ exempta omnibus vitiis ac liberata morbis legitime versetur in constituendo summo bono & procurando felicitatem hominis perpetuam.

§. V. Sed in quonam Philosophorumprehendisti rectam illam rationem, qui exturbatis vitiis non dicam felicitatem illam laudatam attegiisset, sed modo cognouisset. Vel si etiam lucernam diogenianam admoveres, tamen quemquam te perspexiturum non arbitror; Adeo tenebræ ac vitia mentem pervasere; non obstante, quod splendida interdum de rebus moralibus proferant verba. Quis enim dubitat, lupinas virtutes agnina posse tegi pelle. Nullum enim remedium contra vniuersalem naturæ morbum, quamquam linceis oculis omnia eorum perlustremus placita, inueniemus. Sed potius nobis querentibus quibus remediis vitia eiicienda, sanitasque intellectus pariter ac voluntatis acquirenda sit? vno respondebunt ore: per virtutes intellectuales ac morales. Si porro instamus vndenam formam ac indolem virtutum cognoscant & vnde eas exercere possint? nullam aliam deproment responsonem, nisi lumen rationis ea dictare quæ sint virtuosa, seque secundum eam per animæ vires ordinarias edere virtutes. Verum enim vero per oculos mentis luce priuatos videant, si possint, virtutes & per vires a morbo consummatas, expellant morbum sanique viuant. Sed vti ferrum per magnetem non extruditur, ita nec morbus per se ipsum. Cum itaque vires sint ad efficiendum bonum emortuæ, & ratio resecta tenebris (virtutes vero ut reuelatio docet spirituales) & nihilominus tamen suas decantent virtutes philosophi; apparet, quod loco virtutum splendida habeant vitia. Neque puto iure excipi posse: Philosophos tantum eatenus rectitudinem rationis intelligere, quatenus ab iis erroribus ac morbis, qui humana industria euitari possint, immunis sit. Hoc enim concessio, id quoque profitendum erit, quod ratio consummata in moralibus nihil aliud sit, quam facultas iudicandi de honesto aut bono ciuili, nequaquam vero ad sempiternam ducat felicitatem. Hoc si tantum

tum vellent, ullam ipsis dicam scribere, animus non esset. Sed supra adducta elogia aliud docent, pariterque contrarium habes in Senecæ Epl. LXXVI. (p. 684.) *Bonus is est si ratio explicita & recta est & ad naturæ voluntatem accommodata.* (per naturam Deum intelligunt; idem enim ipsis est imitari naturam & Deum.) *Nam cum sola ratio perficiat hominem, sola ratio perfecta beatum facit.* Hoc autem unum hominis bonum quo uno efficitur beatus, Conf. §. IX. Qui vero rectitudinem non ἀπλῶς sed κατὰ τι seu certo tantum respectu sumit; is sane fatetur, quod ratio in moralibus perfecta salutari proprie non possit. Verum cum Philosophi hoc assertum velut crimen læsæ maiestatis ulciscendum minentur; vterius argumentis pugnandum erit.

§. VI. Tota autem materia in duo abire videtur capita. Primum enim se offert obiectum, vel si maus finis. Is vero cum multiplex sit, vltimum, ad quem scilicet ceteri subalternati tandem ducunt, nos intelligimus. Nam hominem in omni actione scopum præfixum habere, ad quem omnia dirigat & propter quem, appetit & auerfatur; expetit & declinat, nec vllus philosophorum negat, cum ex ipsa hominis constitutione appareat. Hunc igitur scopum vltimum constituunt summum bonum εὐδαιμονίαν, cuius gratia, quæ ab homine vel aguntur vel omittuntur, omnia fiunt. Dispicendum itaque est, iam specialius an ratio in iudicando illum affectata sit, vel num potius decepta decipiat; si vero falsæ indolis finem constituerit vltimum, quæcunque huic subordinata sunt, falsa erunt. Secundo natura nos docet philosophum non modo occupatum esse debere in disciplinis practicis circa finem constituendum, sed etiam in id locare operam, vt, quomodo is assequi possit, ostendat. Etenim quid iuuat aspectus, si non conceditur vsus. Hinc noua emergit disquisitio, an ratio eiusmodi media inuenerit, quæ ad finem perducendum sint idonea & sufficientia? & an subiectum, legitime illa adhibens, felix quocunque modo fieri possit? Hæc si impleuerit, quis laurum ipsi porrigere detrectabit? Quod si vero lippientibus oculis, veritatis loco errores constituerit, non sanc alia, quam inepta inde media resultabunt. Illa enim ex fine metiuntur. Si autem verum constituat finem, nec tamen media adæquata tradit, nullum inde subiectum

iectum capere fructum poterit, adeoque seductrix, male sana & imperfecta vituperanda iure erit.

S. VII. Finis ergo omnium humanarum actionum est Summum bonum, seu quod idem est durabilis felicitas. Quando vero Summi nomine insignitur inconfesso est, quod (1) nullum aliud bonum supra se habeat vel habere, nec ipsi quid addi nec demi possit. Sed potius complexus omnium felicitatum & bonorum in gradu excellentissimo censendum erit. (2) Porro ex eiusdem natura fluit, partim quod sit summie communicabile, (3) partim etiam quod omnibus, saluo ordine, sit communicabile: prius canon euincit, quod omne bonum sit communicabile; alterum docet necessitas ac instinctus a Creatore naturæ humanæ implantatus, quo cuncti homines natura bonum optant ac appetunt. Nam aut Deus vult, ut homines omnes huius boni participes fieri debeant, aut non vult. Si non vult, non erit iustus nec summie bonus: id quod utrumque ratio de Deo pernegat. Nec enim ratio penetrare potest, cur Summum Numen, quibus simile corpus, similem animam similemque appetitum boni indidit, non etiam omnibus ex voluntate antecedenti eandem felicitatem contingere velit? Si autem Deus vult; tale omnino eum bonum comperauisse necesse est, quod (a) omni tempore, (b) omni loco, (c) atque ab omni indiuiduo cuiuscunque sit sexus, conditionis (excepta impia) aut ordinis assequi possit. Has affectiones philosophos cognouisse sequentia monstrant testimonia, Senec. Epl. LXXIV. *Summum bonum nec infringitur, nec augetur, in suo modo permanset, vtrunque fortuna se gesserit.* Cic. de fin. bon. & mal. libr. II. t. 4. *Nec enim absolui vita beata sapientis nec ad exitum perducitur potest.* Et paulo post de Sardanapolo, omnem voluptatem in corpore referente, inquit: *Gloriatus est Rex assyria, se omnes secum libidinum voluptates abstulisse, quod enim ne viuus quidem diutius sentire poterat, quam dum fruebatur, quomodo id potuit mortuo permanere.* Ergo putat Cic. summam voluptatem dici non posse, quod non sit durable. Seneca Epl. LXXI. *Socrates non minor fuit felix in carcere. Nam Academici farentur eum inter cruciatos beatorum fuisse. - - - S. B. est quod supra se gradum non habet, si modo illi virtus inest, si illam aduersa non minuit, si manet etiam comminuto corpore incolumis.* Manet autem

rem . . . unum bonum nec remitti, nec intendi potest magis, quam regula qua rectum probari solet.

S. X. Generaliter affectionibus S. B. enarratis remouenda erunt, quæ non Summi B. circulum ingredi possunt, vbi primò loco se *VOLUPTATES CORPORIS* offerunt, quas ad S. B. pertinere plerique pernegant: quippe quod bruta cum hominibus easdem habeant communes: cum tamen illa ab huius fruitione exclusa sint. Cic. de finibus: *fuit voluptas corporis & prima queque avolat, sepiusque relinquit causas poenitendi.* Hinc referente eodem lib. IV. quæst. Tuscul. l. 4. p. 266. *Aristoteles videns epitaphium Sardanapali derisit dixitque, quid aliud in bonis non in regis sepulchro inscriberes? Hic habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat quam fruebatur.* Epitaphium autem eius Athenæus & Clemens Alex. Stromat. lib. II. p. 411. (d) græco idiomate exhibet, quæ latine donata ita sonant:

Hec habeo, quæ edi, queque exsaturata libido

Hæsit, at illa tacent multa & præclara relicta,

Namque & ego cinis ecce, Nini Rex maximus olim.

Eadem iam de S. B. Epicurorum dicenda erunt. Cum enim animam materialem tantum crediderint in homine, S. eorum B. vilis erit, quam quod censura egeat. Licet Diogenes Laertius, Seneca, aliique Epicurum ipsum excusent, ipsique voluptatem animi tribuant: tamen Aristippus discipulus cum suis affectis profitebatur voluptatem corporis, quo etiam factum, vt tandem ex Italia narrante Cicerone eiecti sint. Non minus etiam Philosophi remouent *HONORES*, quia vt plurimum non sunt bonum inhaerens honorati, sed potius in potestate alterius facillimeque auferri queunt. Communiter huc referunt (a) *ευγένειαν*, nobilitatem, (b) Dignitatem, quæ propter propriam virtutem contigit, ciuilem (adde ecclesiasticam) (c) Nominis & famæ extensionem. In his autem si ullum S. ponendum esset, ii, qui oblatos honores & dignitates recusarunt, vel ipsum S. B. vel partem saltem ipsius respiciunt; Perbelle de his Boethius:

Quicumque sola mente præcipiti petit,

Summumque credit gloriam;

Late patentes ætheris cernat plagas,

Arctumque terrarum situm:

Bre-

Brevem replere non valentis ambitum,
Pudebit autē nominis.

Quid? o superbi colla mortali ingo,

Frustra levare gestiunt?

Licet remotos fama per populos means

Diffusa, linguas explicet.

Et magna titulus fulgeat claris domus.

Mors spernit altam gloriam,

Inuoluit humile pariter & celsum caput,

Aequatque summis infra.

Vbi nunc fidelis ossa Fabricii iacent?

Quid Brutus, aut rigidus Cato?

Signat superstes fama tenuis pauculis

Inane nomen litteris.

Sed quod decora nouimus vocabula,

Num scire consumptos datur?

Iacetis ergo prorsus ignorabiles,

Nec fama notos efficit.

Quid si putabis longius vitam trahi,

Mortalis aura nominis.

Cum seua vobis rapit hoc etiam dies,

Iam vos secunda mors manet.

Multo minus IN DIVITIIS poni aut possessionibus potest. Quia adhibita omni industria, a quouis non acquiri possunt. Equidem Arist. i. Polit. c. 6. naturales & artificiales narrat opes. Illæ sunt, quibus indigentia humanæ succurritur, v. c. cibus, potus, habitaculum necessarium &c. Hæ autem, quæ secundo vitam iuuant, quatenus scilicet earum beneficio naturales illæ comparantur, vt nummi, iis enim nec corpus alitur, nec cœli iniuria defenditur, permutare tamen eos cum re ad sustentationem necessaria possumus. Hæ vero diuitiæ expetuntur, propter vitam duccendam, S. vero B. non est propter aliud. Ergo nec in diuitiis consistit. Plutarchus:

Πλεῖστος δὲ τιμιόν μὲν, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς τίχης.

i. e. Diuitia quidem pretiose sunt, interim vero a volubili dependent fortuna. Nec denique S. B. in NVDA VEL OTIOSA NOTITIA.

B

aut

aut imaginaria contemplatione proprie consistere potest. Quia hæc cadunt in virum malum, ac vitiis scatentem; malum autem felicem esse, aut S. possidere B. proculdubio σιδηρόζυλον erit.

§. IX. Cum vero post Socratem in varias abierint hæreses Philosophi, ac quæquæ pro animi sui indole illud metiens varium constituerit. S. B. Præcipuas breuiter perlustrabimus. *Aristoteles*, quanquam non ordine honore tamen hodie primus inter Christianos Princepsque Peripatericorum, merito præmittitur ad lapidem lydium. Ethici communiter ex ipsius lib. I. Ethic. ad Nic. c. 7. S. B. dicunt: *εὐδαιμονία ἐστὶν ἐνέργεια ψυχῆς λογικῆς, κατ' ἀρετὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ*, i. e. *S. B. vel felicitas est operatio anime rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta.* Virtutem autem describit, quod sit *ἐξ ἑξῆς προαιρετικὴ ἐν μεσότητι. Ἐτα.* *Habitus electionis in mediocritate consistens.* Optima ergo virtus erit, quæ inter duo extrema centrum quasi accurate tenet: vel ut Senec. epl. LXXI. scribit: *Virtutem intelligo animosam & excelsam, quam incitat, quicquid infestat.* Est iraque optima virtus συλλογή, vel complexus omnium virtutum in summo gradu constitutarum. Vitam vero perfectam, ni fallor, compositionem vel unionem animæ cum corpore voluit. Nam animam post separationem a corpore adhuc vitam possidere credidit: sed eam vitam ob defectum alterius partis compositionis minime perfectam esse posse, putavit. Huc etiam distinctio inter spiritum completum & incompletum spectat. Porro opponit vitæ perfectæ, ætatem nondum maturam scil. iuuenilem & puerilem. Ex his facile iam dum iudicare licet, num cognouerit S. B. Nam subiectum ponit matura ætate; ergo actu excluduntur pueri, qui, si in tali statu decedunt, cum reliquis animantibus eadem gauisi sunt, atque gaudent conditione. *Quin imo disertis verbis lib. I. c. 9. fatetur, quod hac eadem de causa, nec puer quidem felix. Nondum enim ad talia agenda idoneus est propter ætatem.* Cum vero & bis pueri senes, quid de iis fiet? Num forte ex commiseratione vel ex reuerentia senii ipsis largietur felicitatem? ego totus dubito. Cum vero S. B. Virtutem esse vult; virtus vero habitus est; habitus vero non vno die, non vno actu acquiri possit: ergo negat, quod is, qui ad virtutis castra transgreditur, statim perueniat ad S. B. Nam
quemad-

quemadmodum nec unus versus fabulam, una manus extenso non saltationem, nec una hirundo ver conficit, ita nec breue tempus beatitudinem collocabit, cum illa perfecta sit, ac perfectum hominem & tempus desideret. Stanleius in hist. Phil. parte V. Ethic. Aristot. c. 1. p. 479. Insuper propriam habentes confessionem, non sumus iniurii in illum. lib. I. c. 7. ad Nic. *Paruum tempus beatum & felicem reddere non poterit.* Notatum iam est, quod determinatio subiecti per vitam perfectam, uniuersalitem excludat, sed & hoc addendum est, quod virtuosus per mortem abreptus, abripiatur, o triste dogma! simul a S. B. quia vitam is non amplius habet perfectam; ne quidem difertis verbis hoc profiteri erubescit summus hic Philosophus lib. I. c. 2. ad Nic. *Magis fortasse dubitare oportet de mortuis, utrum alicuius boni participes sint; an vero eorum, qua opposita sunt.* De obiecto, vel ipso S. B. si dicendum quæ res sit, nimis angustos ac iniurios terminos illi ponit, dum tantum in hac vita felicitatem esse, vel philosophatur, vel moratur: & eo ipso illud inconstans, & non durable habet. Adicio, quod addit lib. I. c. 10. ad Nic. *Felix e felicitate non facile mutabitur, neque a quibuslibet miseriis, sed a magnis & multis.* Ego vero putassem, hoc S. B. in multis & magnis malis solatium afferre debere. S. B. ponit in virtutibus; virtutes vero sunt actus; actus vero homini, nec quicquam beatitatis afferre possunt, nisi sub ratione vel iucundi, vel honesti, quod inde sequitur. Nec Philosophi, quicquid etiam iactitent, virtutes non excuerunt propter intrinsecam in illis bonitatem, sed propter aliud quid, scilicet honores vel diuitias, vel etiam voluptatem, quæ ex virtutibus sibi capere posse, arbitrabantur. Id, quod colligere licet ex homine nondum ad Deum perducto, is exercet liberalitatem, non sane propter virtutem, sed propter se ipsum, dum captat vel laudem, vel amicos, vel præmium, vel internam iucunditatis fruitionem. Ergo ratio indicat, virtutes non esse S. B. Tandem extra definitionem datam ad S. B. primario spectatam refert Arist. non modo lætitiâ cordis, sed & sanitatem corporis, quia præter idoneum instrumentum, anima nullas actiones edere potest. Huc secundo refert bonam famam, honores, diuitias, amicos, nobilitatem &c. Quæ itaque notata sunt, si in summam contrahantur, apparet, nullum discrimen quoad rem inter

Aristotelem & Epicureos esse; licet quoad modum differentia se offerat. Hi edebant, bibebant, post vero mortem, nec seipsos, nec sibi vllum bonum superesse, persuasi erant. Ille vero dubitanter admittit alteram sui partem post mortem superstitem fore, non vero ipsi felicitatem remansuram putat. Hinc edit, bibit &c. sed mediocriter, i. e. optimis verbis vitia commendat. Ad voca nunc, quæso, prædicata S. B. §. VII. ex Philosophis notata, tum cernes Aristotelis S. B. nequaquam eas habere affectiones, quas conceptus formalis requirit. Cum vero nihilominus se rem bene confecisse putat, ratione imperfecta maleque sana eum laborasse, necesse est.

S. X. Breuiter nunc cohors *Platonica* lustranda erit: quorum ducem videmus Platonem. Non vero negandum, quod aliqui a vestigiis eius recesserint: tamen reapse nec quicquam in hoc puncto differunt; omnes enim tenebras alunt, voluptatemque eandem vel pigmento auri vestiunt, vel speciosas ipsi affingunt denominationes. Sat quidem multi sunt, qui Platonem diuinam veritatem cognouisse, fortiter contendunt, putantes, eum id docuisse, quod Moses &c. vid. Ioseph. contra Appionem. lib. Clementis Alexand. passim. nec non celeberrimum Huetium in demonstr. Euangel. propof. IV. Quibus contradicere non lubet; hoc tamen contendo ex iis, nihil amplius sequi, nisi id, quod si forte saniora habuerit principia & cognitionem in rebus moralibus & diuinis excellentiorem, id non beneficio rationis, sed luminis reuelati habuisse. Nam, vt Huetius & reliqui notant, cognitionem istam a Iudæis, non vero a profanis hausit Philosophis. Insuper & hoc monendum est, Platonem artis oratoriarum cultorem plus sæpe habere in verbis, quam res cognita ab ipso permittat, hinc idæ Platonicæ non inique increpantur. Vera item sapientia non se insinuat cordi tumentis, huius vero fastum, notiozem esse, quam qui nostra narratione indigeat, puto. Plato vt refert Stanleyus in hist. phil. part. IV. de doct. Plat. c. 27. p. 349. duplex statuit *bonum unum primitivum*, alterum *deriuatum*. Primitivum appellat Mentem & Deum, hocque bonum communicare omnibus; quæ bona sint, bonitatem, nihilque bonum dici posse, nisi quod ex illo bono participet, S. B. ponit (*a*) in *scientia* bonique primam

primi cognitione, hanc, qui consecutus sit, illum evasisse beatissimum, felicissimumque; & concludit ex his, ingentibus admirandisque bonis Philosophorum animos refertos esse, postque corporis interitum diuinis adhiberi epulis; contra, si quis omnia possederit, quæ vulgus bona prædicat, nec tamen habeat scientiam illam, illum beatum non esse. (B) in similitudine cum Deo, quam in virtutes, potissimum in Prudentia, Iustitia & Sanctitate consistere tradit: talemque nunquam a Deo, quatenus talis manere studeat, deserit. Clemens Alex. lib. II. Strom. p. 47. *Cleanthes dicit Socratem ubique docere, eundem esse virum iustum & beatum; & Plato ipse dicit beatitudinem bene habere demonem. Demonem autem vocat principalem animæ nostræ partem* Ergo S. B. refertur in scientia & virtutibus. Vti & *Speusippus*, Platonis ex sorore filius, eiusque genuinum discipulus definit S. B. seu beatitudinem: quod sit perfectus habitus in iis, quæ sunt secundum naturam. Hæc Cic. tomo IV. in quæst. Acad. I. b. I. p. 9. tali ratione proponit: Plato habuit triplicem philosophandi rationem: 1. de vita & moribus. 2. de natura & rebus occultis. 3. de differendo de vero & falso &c. *primam illam partem bene vivendi, a natura petebant, eique parendum esse docebant, neque in ulla aliare, nisi in natura querendum esse illud S. B. quo omnia referrentur, constituebantque extremum esse rerum expetendarum, & finem bonorum adeptum esse omnia e natura & animo, & corpore, & vita &c. S. B. corporis ponebant vel in toto, vt valetudine, pulchritudine: vel in partibus, vt claritate vocis, celeritate pedum, &c. Animi: huc spectabat ingenium ad virtutes comprehendendum idoneum, naturæ celeritas ad discendum, item memoria felix. Vitæ: hanc adiunctam esse dicebant, quæ ad virtutis usum valerent. Quamquam illa Platonis sententia facile aliis palmam præripere videatur: tamen sibi ipsi non satis constare videtur. Nam de participatione ex substantiali bono prolixè differit, nec tamen quicquam eius meminit, quod homo per participationem a Deo habeat S. B. sed omnia refert in actiones virtutum, de quibus §. IX. dictum. Merito eius itaq; S. B. suspensionem incurrit, an non rhetorem magis quam philosophum egerit. Coniectura ex consideratione *subiecti* stabiliri videtur. Equidem condonandum ipsi*

est, quod putauerit mentem ac rationem tantum de S. participare B. vel potius hoc in istis consistere; corpus enim indignum animæ carcerem & instrumentum, cuius anima tamen egeat, putauit Cic. lib. I. Acad. de illis dicit: *In una quidem virtute positam beatam vitam, non tamen beatissimam, nisi adiungerentur & corporis bona & cetera ad virtutis usum idonea.* Verum quod plurimos ab hoc bono excluderit, quos tamen aduocare potius debuisset, vix meretur veniam. Qui enim S. B. possidet, per ipsius summe communicabilis naturam impellitur monendum alios, vt illud etiam accipiant. Stanleius de ipso contrarium l. c. affirmat: eum putauisse, & quidem recte, quod non facile possit inueniri. Cum vero, se illud inuenisse, Plato absque dubio sibi persuasus fuit, paucos quosdam elegit ex discipulis, quibuscum communicauit, conferri & tabulæ Cebetis ab initio merentur.

S. XI. A Platonis nos conferimus ad Stoicorum turbam, quorum ambiguum S. B. Lipsius l. II. Diss. 14. p. 99. ex Stobæi eclog. citat, quod latine adscribemus: *Finem Zeno ita edidit conuenienter viuere, cum censerent minus, quam pro re Zenonium illud dictum esse. Sane Cleanthes primus cum eius sectam locumque suscepisset, adiecit. Nature. Chrysippus deinde hoc clarius volens reddere, ita extulit, viuere secundum peritiam eorum, que natura conueniunt. Diogenes porro rectam rationem ac iudicium in eorum, que secundum naturam sunt, electione & reiectione posuit. Archedemus denique versari in cura earum rerum, que decet. Quid vero per decantatum illud velint, sciscitabimur ex interprete Cic. tomo IV. de fin. lib. 4. p. 124. Cum Stoici secundam naturam viuere, S. B. esse dixerint, tria dicunt. Vnum eiusmodi viuere adhibentem scientiam earum rerum, que natura conueniunt, hunc ipsum Zenonis finem esse aiunt, conuenienter nature viuere. Alterum idem est, ac si diceretur, officia omnia modica aut pleraque seruantem viuere, hoc sic expositum, dissimile est superiori. Illud enim contingit sapienti soli, hoc autem inchoati cuiusdam officii est, non perfecti: quod in aliquos insipientes cadere potest. Tertium autem, omnibus aut maximis rebus iis, que secundum naturam sunt, fruente viuere. Hoc non est positum in nostra actione. Completur enim & ex eo genere vite, quod virtute fruatur, & ex his rebus, que secundam naturam*

turam sunt &c. Seneca se rem attigisse iactitat *Epl. LXXI. p. 663.*
Quem admodum sepe quarimus eos, cum quibus stamus, ita finem ple-
rumque S. B. ignoramus appositum, - - - digito, ut ita dicam, mon-
strabo. S. B. est, quod honestum est cetera falsa & adulterina bona sunt.
 Quid honestum sit, docet *Epl. CXVIII. p. 868. Honestum est per-*
fectum bonum, quo beata vita completur, eius contactu alia quoque bo-
na fiunt, quæ neque bona neque mala sunt, ut legatio, militia, iurisdi-
ctio. Quid si Senecæ index digitus aduncus fuerit? Recedit
 autem eo omnis Stoicorum sententia, ne quis contra flumen na-
 ter; sed in omni συμπτώματι, ita nec aliter fieri potuisse & debu-
 isse cogitet. Cum vero animi tranquillitatem perturbent res,
 extra hominem positæ, si affectu amplectantur, summe id pro-
 hibebant. Nam docebant res quasdam in nostra esse potesta-
 te, quasdam vero non. Illæ erant, ut Epictetus cap. I. II. ex-
 hibet ὑπόληψις, ὄρεσις, ὀρεξις, ἐκκλησις. Hæc vero omnia fortu-
 næ dona & bona, quæ alieno animo tantum ad usum necessa-
 rium adhibenda sint, illa vero prudenter dirigenda. Id qui fa-
 ciat, felicissimus euadat Senec. *Epl. XVIII. p. 555.*

Aude hospes contemnere opes: Et te quoque dignum

Finge Deo - - -

Nemo alius est dignus Deo, quam qui opes contemnit.

Hunc in finem notat Stanleius Parte VII. de Stoicorum doctrina
 cap. V. p. 593. quod ad bonum pertineat omnis virtus, Pruden-
 tia, Iustitia, Temperantia, & quicquid ex hisce participet, ut
 actus virtuti conuenientes. Lipsius in philof. Stoic. lib. II. diff.
 21. p. 117. ex Nemesio citat: *De acervo si duos modios demas, quod*
relinquitur, acervus est: item Beatitudini in latitudine intellecte, si de-
traxeris corporis & externa bona, solasque virtutes reliqueris, nihilominus
beatitudo manet. Licet successu temporis Stoici commendatas
 a Præceptoribus virtutes, in sensu philosophico dictas, relique-
 rint, ac omne bonum in ritibus ac gestibus externis posuerint:
 tamen fatendum est, dogmata ipsa, nisi anguis sub herba lateret,
 laudabilia esse ac pædagogiam ad bonum verum, suppeditare
 potuisse; femina enim quadam abnegationis continere videntur.
 Verum enimvero vid. Clem. Alex. Strom. lib. II. p. 404. (a)

Stoici

Stoici naturæ consequenter viuere finem esse statuerunt, eleganter Dei nomen transmutando in naturam. Hæc opinio, quam Lipsius fauens Stoicis emollit, ac idem esse contendit, sancte & pie viuere, pessimata tamen est. Nam Deum cum natura & mundo confundentes, putabant, Deum ipsum fati non plane exemptum esse, & ita secundum naturam viuere, tandem nihil aliud erat, nisi fati cedere, sich in die Zeit schicken. Hoc apparet, si paulo accuratius supra adducta ex Cic. consideramus. Post vero mortem, animam ceu ἀπόσπασμα vel partem diuinæ essentia relicta materia, vt omnis mali causa, cum Deo iterum in vnum conuari, putabant.

Subiectum S. B. capax, omnes homines esse, declarabant. Sic enim habet Seneca lib. III. de Benef. c. 18. p. 419. Nulli præclusa virtus est; omnibus patet, omnes admittit, omnes inuitat, ingenuos, libertinos, seruos, reges & exules. Non eligit donum & censum, nudo homine contenta est. Non tamen alios, quam qui usum rationis habebant, admittere poterant. Senec. Epist. vlt. p. 888. Atqui non magis infans adhuc boni capax est, quam arbor, aut mutum aliquod animal. Quare autem bonum in istis non est? quia nec Ratio. Ob hoc in infante quoque non est: nam & huic deest. Tunc ad bonum perueniet, cum ad rationem perueniet, nec minus, vt supra dictum, corpus plane excludebant. Cum itaque, quæ monenda veniant, apud Peripateticos iam notata sint, hoc tantum addimus: quod quæcunque ex falso principio elicantur, vera esse non possint; Et quid in prima, vt ita dicam, concoctione ratio vitiauerit, in altera vix, ac ne vix quidem correctura fit.

§. XII. Tandem subiicimus Socratem & Pythagoram, qui, licet tempore & loco, tamen doctrina ipsa non adeo seiuncti fuerent. S. enim B. videbant, vel potius edocti erant, non consistere in bonis fortunæ, aut voluptatibus. Sed quia Deus summe fit beatus, hominemque ex spiritu & materia compositum esse, & inter hunc & illum conuenientiam intercedere; propterea finem vltimum in similitudine cum Deo ponebant, credebantque, quod homo post depositam corporis molem in æternum cum Deo victurus sit. Carmina, quæ Pythagoras reliquit aurea, ad lauda-

laudatam *ὁμοίωσιν* cum Deo tendere, eruditi volunt. Hierocles in fine præf. carm. aur. hæc habet: *Ad divinam similitudinem du-
cunt, pythagoricæque philosophiæ finem ostendunt.* Versus ipsi vltimi
notatu digni sunt:

Ἦν ᾗ ἰσοπέφας σῶμα ἐς αἰτὲρ ἑλεύτερον ἔλθης,
Ἔσσειαι ἀθάνατος θεός, ἀμβροτος, ἐκ ἐτι θνητός.

id est:

*Quod si relicto corpore ad purum æthera pronoveris,
Eris immortalis Deus, incorruptibilis, nec amplius mortalis.*

His adde v. 46.

Ταῦτά σε τῆς θεῆς ἀρετῆς εἰς ἴχνια θήσει.
Hæc te ad divine virtutis vestigia ducent.

Quanquam hæc Samii mentem vberime indicent; tamen adhuc
clarior Stobæus in ecl. cap. 3. finem depingens scribit: *Σωκράτης,
Πλάτων ταῦτὸ πρὸ Πυθαγόρου τέλος ὁμοίωσιν θεῶν ἔλεγον: Socrates,
Plato, similiter Pythagoras finem dixerunt esse similitudinem cum Deo.*
Ex cebetis tabulis, quæ, an magis Pythagorico, vel Socratico, vel
Platonico viro tribui debeant? anceps eruditi habent, nihil ta-
men obstat, quod minus possimus cognoscere, in quo similitudo
illa cum Deo constiterit, liquet enim, similitudinem in virtuti-
bus ac cognitione sapientiæ posuisse. In his sane omnibus ma-
terialiter spectatis, necquicquam desiderandum venit. Verum
enim est, S. B. consistere in imagine ac *ὁμοιώσει θεῶν*, hanc, qui
habet, is omnino perfectus ac beatus dici meretur. Nequa-
quam tamen putandum est, ac si Philosophi S. illud B. affecti
sint, sed potius putaminibus nucleo dempto gauisi sunt. Nam
vt per *πρόληψιν* addam, quod nesciuerint vires humanas, qui-
buscunque tandem studiis philosophicis instructæ sint, nil boni
vere dicti, nisi per gratiam Spiritus Sancti emendentur, efficere
posse. Quanquam Iustinus quidem Martyr, Origenes &c. So-
cratem cum multis aliis beatum dicant; tamen hoc iam nihil ad
nos, vid. Gerh. io. Vossii Hist. Pelag. L. III. ad Thef. XI, Beatus si

C

eua-

euasit, non sane per philosophiam, sed aliunde potius. Si quis nobis obiiciat, quod ex his thesibus nostra eneruetur, dum confesum sit; hos Philosophos obiectum S. B. inuenisse, ille valde errat. Nam id nostram thesin nequaquam ferit. Si enim cognouerunt S. B. id fieri debuit. vel per lumen rationis, vel ex aliorum instructione, prius negatur maxime. Huetius in demonstratione Evangel. pluribus probat, Pythagoram ex diuino viro Daniele hausisse ea, quæ in sua doctrina bona sint, & hoc eo felicius fieri potuit, dum, quo ad mysteria sacerdotum Ægyptiacorum admitteretur, circumcindere se passus sit. Clem. Alex. Strom. lib. I. p. 303. (c) *Plato meminit se & Pythagoram plurima ea, que præstantissima & nobilissima dogmata sint, didicisse apud barbaros, Iudæos & gentiles, non Græcos, & paulopost p. 304. (b) Alexander in libro de Symbolis Pythagoricis refert: Pythagoram fuisse discipulum Nazarathi Assyrîi. Quidam eum existimant Ezechielem esse &c.* Socrates vero plurima, in Ægyptum, Iudæam, Italiam proficiscens, ex iis incolis in specie ex Italis furatus est. Quæ tamen omnia ad reuelationis lumen recidunt. Ne quid dicam, Persas a Iudæis multas accepisse veritates, Græcos autem tempore Socratis, qui *σὺν Χρῆστος* Prophetæ Haggæo fuit, commercia cum iis habuisse. Quod iam de his monetur, id etiam obseruandum est de iis, qui ante eos vixere & philosophati sunt. Post enim diluuium totum genus humanum in Noachi familia consistens, verum agnoscebat DEVM, summumque hominis felicitatem, cuius reliquiæ apud barbaros in proverbiiis & sententiis asseruabantur. Inter populos Orientales Patriarchæ diu morabantur, qui quanquam premerentur, tamen non est dubium, quin post mortem, vt viri sancti vel sapientes non sint habiti: exempla vbique obuia videmus, v. c. Socratis. Horum itaque dicta in thesaurum, quasi reponebantur. Hinc apparet, quicquid Philosophi in placitis suis bene docuerint ex lumine sublimiori id originem traxerit. Ægyptios Patriarcharum, imprimis Iacobi & Iosephi sapientiam excepisse, notum est; in quorum comparatione Græcorum philosophi, pueri modo, nec senes dicti sunt. Qua de re superfedemus enarratione antiquiorum dogmatum philosophorum, & notamus il-
lud

Iud Johannis c. I, §. *Lux ista vera lucet in tenebris, sed tenebrae eam non comprehendere: potius veritatem fabulis implicuere.* Sed properantes ad finem ea, quæ restant, *ὅς ἐστὶν ὁ λόγος* proponemus visuri, quæ ratio ad assequendum finem excogitauerit media.

§. XIII. *Aristoteles* viam ad S. B. ducentem referente Stanleio parte V. de Arist. doct. p. 476. hanc monstrat: *Tribus rebus perficitur virtus Natura, Consuetudine & Ratione.* Putat enim virtutibus intellectum & appetitum perfici, seu in debitum ordinem redigi; iis autem ex proprio motu naturæ fluentibus, ne aberrant, in obiecto normam certam ipsis constituendam esse. Etenim lib. X. Ethic. ad Nic. c. 9. scribit: *A iuvene autem institutionem rectam consequi ad virtutem difficile est, si non sit innutritus talis legibus. Quamobrem legibus oportet constitutam esse educationem & studia.* Quæ autem præcepta constituat, vtenarentur, nec spatium chartæ, nec instituti ratio permittit, in omnibus autem ethicorum Aristot. compendiosis fere perspicui poterunt. Quæ, si ad regulam luminis infallibiliter veri examinantur, canones *ἀσβεβέως* non *ἐπιτεβεβέως* pluri mi censi debebunt. vid. B. Cortholti disput. de Magnanimitate Arist. Et August. de Ciuit. D. lib. XIX. c. 24. *Licet a quibusdam tunc vera & honeste putentur virtutes, cum ad se ipsas referuntur, nec propter aliud experimtur, etiam tunc inflatæ ac superbae sunt; & ideo non virtutes sed vitia indicanda sunt.* Addit *Jansenius* lib. IV. c. 18. *Nihil clarius, nihil absolutius, nihil efficacius de Philosophorum virtutibus pronuntiari potest. Nec enim responderi potest, vitium hic improprie sumi, pro eo, quod ad vitam æternam nihil prodest, quamvis naturaliter bonum sit: instaurum enim & superbum esse, non indifferens, sed verissimum vitium est. Quod si talis est virtus philosophica, quando purissima est, quanto sordidior erit, quando aliis quibuscumque rebus seruit? - Sicut ergo falsa virtus est, illa philosophica, & verum vitium; ita falsa beatitudo, quam venatur, & vera miseria.* Hæ virtutes menti natura insitæ, ceu fructus ex radicibus procedunt, non tamen sua sponte, sed per adsuetudinem, i. e. per pædagogiam externam & coactionem internam l. c. cap. I. lib. II. *Neque natura, neque præter naturam virtutes efficiuntur, sed ita, ut nos quidem natura idonei simus ad ipsas suscipiendas, at ex more perficiamur - sic etiam, dum iusta agimus, iustificamur.*

Stoici quoque, dum virtutes & honestum S. B. suppeditare putant, conspirant in hoc cum Peripateticis, itidemque per adfuefactionem habitum virtutis eliciendum docent. Senec. de ira lib. II. c. 18. *Educatio maximam diligentiam plurimumque profuturam desiderat, facile est enim teneros adhuc animos componere.* Ceterum vti ex Epicteto §. XI. allegato constat solas actiones in nostra esse potestate, reliqua, etiam ipsa corpora non item. Quae de re S. B. acquisitionem cohibitione animi ab omnibus rebus externis oppressioneque affectuum ad obiecta tendentium fieri posse volebant. Reliqua supra adducta mittimus, & notamus, in hac doctrina nequaquam rectam rationem deprehendi. Nam id ratio necessitate adacta proficitur: hominis affectus vel esse ἐπιθυμίας vel παθημάτων, i. e. vel actiuos, vel passiuos. Παθημάτων nullus mortalium in sua potestate habet, sed inuitus illa pati, dum ab obiectis &c. influantur, cogitur. Hoc stante, non est in hominis potestate virtutis habitum per adfuefactionem elicere, & valet tritum illud Medæ: video meliora proboque deteriora sequor. Quid? quod Arist. II. Metaph. c. I. docet: *Quemadmodum vesperilionum oculi ad lumen dici se habent, ita intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt.* Cur non ergo in iis, quæ non manifesta sed sublimia, sunt? hinc error rationis deprehenditur, quod, cum speculativæ arti philosophi se fere mancipauerint, nequaquam tamen in hoc campo depravationem, rationi obuiam, considerauerint. Cum deniq; Stoicorum simulatio & dissimulatio iamdudum explosa sit, nihil addimus. Nam dum videri volebant, se ἀπάθειαν possidere, dominantes affectus, ambitionem &c. exercebant. Hinc non mirandum, quod Stoicorum paradoxa a plurimis traducta, atque quædam ab Horatio Satyra III. risui data sint. Tum ratio sana & recta dici potuisset, si remedia contra morbum monstrasset, vel, se ea inuenire non posse, falsa fuisset, excusarem merito eam. Sed alto supercilio, quasi hæc optime domi se haberent, sciens in applicatione præterit id, quod miserimæ conditionis, periculosissimique morbi τερματισμός est.

§. XIV. Pythagoras, Socrates & Plato cum ex iisdem fontibus sua rigaverint prata, eadem fere exhibent S. B. impetrandi media,

dia, quæ summam ex Scheffero de natura & constitutione phi-
 los. Italicæ hæc erunt. I. est Notitia sui ipsius. II. Purgatio a cor-
 poris fordibus. III. Conuersio in se ipsum. IV. Adscensus ad De-
 um. Hæc coincidunt cum IV. generibus virtutum, quæ Plato-
 nicis adscribuntur: I. Virtutes politicæ. II. Purgatoriæ. III. Ideales.
 IV. Exemplares. I. Pythagoræ cognitionem sui Porphyrius
 ad Schefferum p. 71. ita exprimit: *πρώτον μὲν οἷον θεμέλιον καὶ ὑπο-
 βάθρα τῆς καθάρσεως, τὸ γινώσκειν σεαυτὸν, ψυχῆς ἑσῆς ἐν ἀλλοτρίῳ
 πράγματι καὶ ἑτεροσίῳ; primum quidem fundamentum et basis purga-
 tionis est, noscere se ipsum, cum anima in re aliena ac peregrina substantia
 prorsus sit deuinecta.* Volunt his, quemque considerare debere, in
 qua difficili versetur conditione, quomodo corpori velut erga-
 stulo sit inclusus, ac circumspicere rationem, qua elapsus his vin-
 culis se vindicare possit in libertatem. Hoc vero inuat II Via
 Purgatoria, quæ videtur coincidere cum illo Eph. II, 22. sed longe
 alia mens philosophorum est. Hierocles v. 67. carmin. aur.
 Pyth. definit; quod sit τῶν ὑλικῶν μολισμῶν ἀπόθεσις, depositio for-
 dium materialium: idem καθάρσις est id, quod nos feiungit ἀπὸ τῆς
 ὑλικῆς ἀλογίας, καὶ Ἐθνητῆς Ἐσώματος, a fece rationi contraria morta-
 lique corpore, adscribi meretur ipse v. 67. seq.

*Ἄλλ' εἰργᾷ βροτῶν ἂν ἑπομένῃ ἔντα καθαρμοῖς,
 ἔντε λύσει ψυχῆς κρήνων καὶ φράζεν ἕκαστος,
 ἠνίοχον γνώμην εἰσῆς καθύπερθεν ἀρίστην.*

Schegkio interprete est

*Abstineas dapibus, quas diximus inque catharmis,
 Inque animi lyfi: nec non et singula pendas,
 Aurigam faciens mentem, virtute probatam.*

De animæ fordibus infectæ purgatione necquicquam sciebant,
 sed putabant καθάρσιν absolui per fugam crassorum ciborum. III.
 Conuersio in se ipsum εἰς ἑαυτὸν (ad seipsum potius) nil nisi fuga
 πολυπραγμοσύνης erat. Hoc λάθε βιώσεως Seneca imitans Epl.
 LXVI. ad Lucilium ita exprimit: *absconde te in otio.* Alii vero hoc,
 cum virtutibus idealibus conspirare, volunt. Ita Fricinus: animam,
 quæ per mentem supra se surgit, instar angeli insensibiles ra-
 tiones,

D

tionem, iam ab imaginariis intentionibus segregatas considerare. & ita Philosophum in hoc gradu positum, iam dum S. B. prægusto frui. Nam gradus IV. ipse, S. B. est: nempe ἡμολοσις ἔθετ. Socratis via consistebat in noto isto ἀγέχῃ ἢ ἀπέχῃ, sustine & abstinence. In his omnino viam ad virtutem, Summumque B. poni euincunt laudatæ Cebetis tabulæ, vbi simul notandum; Socratem non modo de suo genio multa commemorauisse, sed etiam docuisse, quemque hominum proprium habere genium, qui cuncta bona facienda præcipiat, cui obediendum sit, & tali modo hominem, vt transfugam, a mundanis ereptum ascendere posse ad cacumen felicitatis extra res humanas quasi positum. Ex his omnibus conspicuum esse credo, quod vltimo enumerati veritatis scintillulas viderint, sed ob nebulas oculos nimium fascinantes, etiam illas cineribus mendacii sepeliuerint. Nulla insuper in via ad felicitatem mentio fit expiationis, cum tamen ratio leges tulit, quod læso satisfaciendum sit: vel quasi summum per peccata offensum Numen ab hoc iure exclusum esset. De λύτρω ἰσθρῶσφι, si quid adderem, rem ipsam dilucidius declararem, sed cum supra rationis sphaeram positum sit, lubentes omittimus. Sufficiat probatum dedisse, Rationem in sensu proprio ac absoluto minime re-ctam vel perfectam esse, ad indicandum veram felicitatem; sed miserrime cruciari ignorantia & errore. Concludimus cum verbis Huetii in præf. S. IV. p. 7. Duplex est via, per quam in animos nostros illabitur cognitio rerum; alia sensuum ac rationis; alia fidei. Illa obscura anceps & fallax ad veri noticiam male fida & inuisa, & infinitis obseptra Philosophorum tricus & questionibus. Hæc, clara aperta & constans, præalucens animo, eiusque accipites motus & fluctuationes admissio cælesti lumine componens.

Θεῶ ἐπιμενεζῶτω εἴη ἡ δύναμις,
καὶ ἡ δόξα παντελῶς!

AD CLA-

AD
CLARISSIMVM RESPONDENTEM,
P R A E S E S.



On poteris, Clarissime Domine, Dissertationem vllam edere, & proposito tuo, & Diuini Ministerii Candidato accommodatiorem. Strictos rationis humanæ limites, eiusque in moralibus infirmitatem, ad veri summiq; Boni consecutionem maxime; miram diuinæ reuelationis excellentiam, (Quidni & mirum ytriusque consensum?) validissimis Sacrarum Literarum demonstras oraculis. Meum in ea tuenda rogas Præsidium, vltro concedo, qui vere Christianas dotes tuas, laborem tuum, & singularem in obeunda satis difficili prouincia, quam tibi demandauimus, prudentiam a multo satis tempore bene noui & experior. Perge quo capisti pede, perge inseruire Academiae donec totus inseruias Ecclesiae Dei; perge pacem, totius Christianæ Religionis summam fouere semper ac promouere. Et DEVS tandem Ter Opt. Max. in tot laborum præmia largam tibi benedictionem impertiat. Dabam Hala
Magd. d. 23. Mensis Augusti, a. 1712.


NO
 CLARISSIMAM RESPONDENTEM
 R. R. A. E. S. S.

On foras, Clarissima Domine
 ut distinctionem vultis
 re: proprio tuo, et
 in Mariani, et de
 consuetudine, et
 ratione, et in
 que in mensibus
 tam, ad et in summo bono
 xper: p. in hunc
 (quod est in
 d. in hunc
 la. Mirum in ea
 concedo, qui vere
 tem quae
 p. in hunc
 an d. in hunc
 Loge duo
 d. in hunc
 t. in hunc
 Max. in
 d. in hunc
 d. in hunc



③③③





Af 364^a

(1)

ULB Halle


3

001 602 721



Sb.







B

CANTATE IESU
PHILOSOPHICA;

ATIO IN IORALIBVS T PERFECTA POSSIT?

QVAM
AGNIFICENTISSIMO,
PRINCIPE AC DOMINO,
ICO WILHELMO,
SIAE, MARCHIONE BRANDEB.
GDEB. GVBERNATORE,
CETERA,
RA ESIDE

TISSIMO AC CONSVLTISSIMO,
SPERLETTE,
IO, FACVLTATIS PHILOSO-
ET IN EADEM MORALIVM AC
ICES PROFESSORE;
LORVM DIRECT. ET IVDICE.
INI AETATE DEVENERANDO.
PHILOSOPHIA HONORIBVS
CONSEQVENDIS

DITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVTOR
LD, REDELA-MESO-MARCH.
ET REG. MENSAR. LIBERAL. INSP.
24. AVG. MDCCXII.

is STEPHANI ORBANI, Acad. Typograph.

